



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Via Lactea Sive Institutiones Iuris Canonici

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Tit. XXV. De Canonica Portione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94613](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94613)

Quò ad Ultimum. Regula itidem est generalis, omnes posse Sepulturæ tradi, nisi speciali ratione quis prohibeatur: Prohibentur verò, primò Excommunicati, Hæretici, Pagani, Judæi, Usurarius, & qui sibi ipsi mortem conscivere. *c. Is cui, de Sent. excommun. in 6. d. c. Eos. eod. c. Ecclesia, cum seq. de Consecrat. d. 4. c. Quia in omnibus, de Usur. cap. Placuit, 23. quæst. 8. & c. Ex parte, eod.* Nota nihilominus, quòd si per Excommunicatum non steterit, quo minùs ad Ecclesiam reversus sit, Sepulturæ traditur; ipseque post mortem absolvitur. *c. Qui recedunt, 26. quæst. 6.* Prohibentur præterea, qui violentas manus Ecclesiasticis personis injecerunt, Homicidæ, Incendiarii, aut Ecclesiarum Violatores, Incæstuosi. *c. fin. eod.* Item Blasphemi. *c. Statuimus, de Maled. d. c. fin.* Et denique prohibentur hi omnes, qui pro manifestis criminibus sunt condemnati. *d. c. fin. nisi resipuerint, fuerintque reconciliati, Abb. in d. c. fin. & c. Ex tenore, de Sent. excommun. §. Sed hac, hoc tit.* Quòd adeò verum est, ut hujusmodi personæ non debeant sepeliri in loco religioso, & si qui fuerint sepulti, si dignoscantur eorum ossa ab aliorum corporibus, debeant exhumari, proculque jactari à Sepultura. *§. Et si contigerit, h. t. & Abb. in cap. Sacris, in fine, ext. eod.* Et qui in contemptum Ecclesiæ hujusmodi personas in cœmeterio Ecclesiastico sepelierit, excommunicatur. *§. Si quis autem hoc tit. Clem. 1. eod.* Ex jam dictis colligas, corpora punitorum, penitentium tamen, posse Sepulturæ tradi. *§. Ex his, hoc tit.* Deus enim non judicat bis idipsum; facit *Clem. 1. de Penit. & Remiss.* Quinimò & si quis deprehensus sit in crimine, & fuerit vulneratus, dummodò confiteatur, si iisdem vulneribus mortuus fuerit, non privatur Sepultura. *§. Quin etiam hoc nostro tit. cap. Fures, cum seq. 13. quæst. 2.* Quamvis statuatur aliud in eo, qui se defendit, & interfectus est in crimine. *c. Ex parte, il 2. eod. c. de Occidendis 23. quæst. 9. cap. 2. de Furt.* Et in fine notandum est, quòd pro Sepultura Clerici nihil excipere possunt. *§. fin. h. t. c. Abolenda, ext. eod. & c. Quando, & cap. Dilectus, & c. Apostolicam, & c. Non satis, de Simon.* Porro Intorticia, & alia emolumenta Funeralia dantur Parochis in sepeliendis Defunctis, circa quæ servatur loci consuetudo, ut dixi in iisdem Discordiis Forensibus de Jurisdictione, *Discord. 18. in fin.* Et cum his finis sit huic Titul.

TIT. XXV.

De Canonica Portione.

Quoniam sæpius evenit, ut quis aliam eligat Ecclesiam, quàm Parochialem, quo casu Parochialis Ecclesia quartam detrahit de relictis illi Ecclesiæ, in qua quis Sepulturam elegit, ob id de hac Quarta in hoc titulo tractatur, quæ Canonica dicitur Portio: circa quam videbimus:

1. Quid sit Canonica Portio?
2. Quotuplex?
3. Ex quibus rebus debeatur?
4. Cui debeatur?
5. A quibus?

Quò ad Primum. Sic describitur Canonica Portio hic in princ. ut sit illa pars, quæ de relictis, & proventibus Ecclesiæ obvenientibus detrahatur, & Prælati debetur. Et in definitione adeff Verbum obvenientibus, ut comprehendatur etiam

illud, quòd alia via, quàm ultimæ voluntatis in Ecclesiâ confertur. *c. De bis, de Sepult.* Hæc autem Canonica Portio, quandoque est dimidia. *c. Antiquos, 10. quæst. 1. & c. 2. de Sepult.* Quandoque Quarta, ut hic. *& c. Cum sup. de Sepult. 12. quæst. 1. c. Vulterna, & c. Congruente, de Offic. Ordin.* Et hoc magis communiter tenetur, ut per Abb. in *c. Requisivisti, d. Testam.* Verum hoc determinatur per consuetudinem locorum, quæ vel augeat, vel minuit hanc portionem. *c. Certificari, de Sepult. & in §. 2. in fin. hoc tit.*

Quò ad Secundum. Duplex est hæc portio, Parochialis, & Episcopalis. Prima est illa, quæ debetur Parochiali Ecclesiæ, vel ipsius Rectori, aut Curato: Etenim decretum est, ut cum quis sibi eligit Sepulturam in alia Ecclesia, quàm in Parochiali, in qua audit divina Officia, & accipit Sacramenta, ne Curatus quasi fraudetur debitis subsidiis, debetur illi Quarta pars eorum, quæ à Defuncto relinquuntur illi Ecclesiæ, in qua Sepulturam eligit. Vel forte minor, vel etiam major portio debetur secundum consuetudinem loci. *d. c. Cum super. & c. Certificari, §. Sciendum, h. n. t. d.* Et non debetur hæc Portio tantum pro Sepultura, & sic ex causa ultimæ voluntatis; verum etiam si dederit, dum erat infirmus, vel infirmus Religionem est ingressus, dummodò is de tali ægritudine decesserit. *§. Sed est, h. tit. c. De bis, de Sepult.* Secus verò est si sanus hoc fecerit. *d. c. De his, Episcopalis Portio est illa pars, quæ de relictis alicui Ecclesiæ pro anima, ab Episcopo deducitur. §. Canonica, hoc eodem, nisi quadragenaria præscriptio obstet. c. De quarta, de Præscript.* Et nota differentiam inter Parochialem portionem, & Episcopalem: quia illa detrahatur tantum in illo casu, quando aliis Ecclesiis aliquid à defuncto relictum est, ut dixi; Hæc verò detrahatur de relictis cuilibet Ecclesiæ. *d. §. Canonica.*

Quò ad Tertium. Regula est generalis ex omnibus rebus eam deduci, nisi aliquid pro fabrica, pro luminariis, pro anniversario, pro equis, vel Armis contra infideles exercendis, vel aliàs ad perpetuum cultum divinum, vel particulari personæ legatur. Hæc enim omnia non subjacent canonicæ Portioni, nisi hac machinatione factum fuerit, ut Parochialis Ecclesia fraudetur. *§. Sunt tamen hoc tit. c. In nostra de Sepult.* Ultra quæ sunt alia, quæ in hanc non veniunt Portionem, de quibus loquitur *text. in c. fin. ext. de Testamentis.* Et hoc procedit tam in Parochiali, quàm in Episcopali Portione. *§. fin. hoc tit.* Et hæc æquiparatio colligitur ex *d. c. fin. de Testam.*

Quò ad Quartum. Uti ex jam dictis apparet, debetur Portio Parochiali Ecclesiæ, in qua quis divina percipit. *§. Dubitari h. c.* Quòd si quis duo haberet domicilia sub duabus Parochiis, & in tertia elegerit sepeliri, Quarta est æqualiter dividenda. *§. Quod si is, h. t. cap. 2. de Sepult. in 6. Abb. in cap. 1. de Sepult.*

Verum quia in *§. Sed istud*, dicitur; quòd Minores, & Prædicatores de omnibus obvenientibus quacunque ex causa tenentur solvere Portionem Parochialem, sciendum est, eam esse illius decisionis rationem, quia Ecclesiæ Parochiales sustinent magna damna propter Privilegia concessa ipsis Fratribus, ut in *Clem. 2. §. Verum de Sepult.* Et per Abb. in *d. cap. fin. in fin. de Testamentis* ubi dicitur, quòd hoc hodie est prorogatum

TIT. XXVI.

De Decimis.

tum ad Fratres Sancti Augustini, & Carmelitanos. Deinde debetur de relictis Ecclesiæ Episcopo, & Ecclesiæ de relictis Episcopo. d. S. Canonica, cum sep. hoc tit. Quamvis hoc hodie non servetur de facto secundum Abb. in d. cap. fin. Est autem differentia inter primum, & secundum Casum: Quia in primo casu Testator non potest prohibere deductionem canonice Portionis. d. S. Canonica, & c. Requisti de Testament. In secundo vero casu potest. S. Item, hoc tit. d. c. Requisti. Ratio autem differentie est, quia quando relinquitur Ecclesiæ, quamvis apponatur taxativa tantum, nihilominus Episcopus non excluditur, quia in relictis continetur, cum ipse sit caput Ecclesiæ. cap. Novit, de his, quæ sunt à Præl. sine consensu Capit. At cum relinquitur tantum Episcopo, quia intuitu personæ, non dignitatis intelligitur relictum, ideo non magis Ecclesiæ Portio aliqua debebitur, quam si cuilibet privato fuisset aliquid relictum; Et ita notatur in d. cap. Requisti. ubi vide, cum sit pulcher rex. In dubio autem sic proceditur, quod si à conjuncto fuerit Episcopo relictum aliquid, canonica Portio non debetur Ecclesiæ, secus vero est si ab extraneo. S. Sed in hoc b. n. t. d. cap. Requisti, de Testament. c. 1. 12. quæst. 2. Quod si conjunctum Episcopo, & Ecclesiæ relinquatur, fit divisio. Si vero Ecclesiæ una res, & Episcopo alia sit relictæ, tunc etiam æqualis fit divisio, nisi in hoc secundo Casu ambo relictis sint contenti. S. Quod si, h. r. d. c. Requisti, 13. q. 2. c. fin. hoc tamen non intelligitur de Ecclesiis inferioribus, ut videmus.

Quod ad Postremum. Ex jam dictis patet, Portionem istam deberi ab Ecclesia Ecclesiæ, & ab Episcopo Ecclesiæ; & ab Ecclesia Episcopo. Est tamen sciendum, quod ista Portio Canonica non debetur ab Episcopo Ecclesiis inferioribus; Unde si legeretur Episcopo, & Capellis, vel Monasteriis, aut aliis piis locis, hoc casu, quod Episcopo legatur, ejus præcipuum est cum Cathedrali Ecclesia, & de illis, quæ aliis locis legantur, portionem Canonica nihilominus obtinebit: Quod ideo constituitur, quia non est tanta communio inter Monasteria, & Capellas, quanta inter Cathedralē, & Episcopum. S. Secus autem, hoc tit. Sed an hoc procedat in Parochiali? tractat Imol. in Clem. dudum, de Sepult. & Abb. in c. Officii, de Testament. qui tenet pro negativa, apud quem vide; & hoc quod supra dictum est, habet locum, nisi testator in hac dispositione dixerit, quod Episcopus relictis debeat esse contentus, quia hoc casu dispositio testatoris attenditur, nisi fraus, vel dolus fuerit commissus. S. autem, cum seq. h. r. Et tandem nota, quod si alicui, puta Canonico alicujus Ecclesiæ aliquid relictum sit, sive à propinquo, sive ab extraneo, non intuitu Ecclesiæ, sed personæ intelligitur esse relictum, nisi contrarium probetur; & ideo hoc casu Episcopo non debetur portio, ea ratione, quia nec prælationem, nec administrationem Ecclesiæ habet. S. Illud etiam, h. r. d. c. Requisti, h. r. De hac materia tractat Petr. de Perus. in suo tractatu de Canonica Episcopali, & Parochiali, in 2. part. c. Quoniam autem, & c. Venio ad quintum, & Petr. de Ubal. in suo tract. de Canonica Parochiali, c. 5.

Quoniam Ecclesiis non solum debetur Canonica Portio, sed etiam Decimæ; idcirco nunc de Decimis tractatur: & ex principio hujus tituli nota, quod Decimæ mediam quandam naturam obtinent inter spirituales res, & temporales. Et circa tituli explicationem videbimus:

1. Quid sit Decima?
2. Quo jure Decima sint introductæ?
3. Quot Decimarum species?
4. Quorum Rerum Decima debeantur?
5. Qui Decimas solvere debeant?
6. Quibus Decima sint solvenda?
7. Quomodo solvenda sint?
8. Ad quid non solvens Decimas teneatur?

Quod ad primum. Decima, si vim verbi inspicimus, nihil aliud est, quam illa Portio, quæ primæ post nonum numerum succedit; sed secundum Tituli nostri materiam Decima potest describi, ut sit Portio bonorum Mobilium Deo tam Divina, quam humana constitutione debita. S. Decima h. r. c. 1. & c. Parochianos. 16. q. 1. c. Tua, il secundo, ext. eod. Vel potest dici Omnium bonorum legitime quasitorum quota pars Deo divina Constitutione debita. Tholof. in suo Tractat. Syntagm. Jur. lib. 2. cap. 22. num. 1. Et dicitur Quota simpliciter ex eo, quia in ea constituenda attenditur loci consuetudo. cap. Ad Apostolica, & cap. In aliquibus, ext. eod.

Quod ad Secundum. Ecclesiasticæ Decimæ, de quibus nunc loquimur, sine aliqua difficultate sunt Jure divino introductæ; & varia sunt in sacris paginis loca, quæ id probant, & hinc dicitur in descriptione hic tradita Divina Institutione Decimas deberi, d. cap. Parochianos, ext. eod. & si adjicitur etiam humana, Verbum illud respicit necessitatem hominibus impositam eas solvendi, non autem principium, aut originem, quoniam hæc est Juris Divini. Hinc in Exodo cap. 22. Primitias tuas, & Decimas tuas non tardabis reddere; & in c. 27. Levitici: Omnes Decima terra sive de Frugibus, sive de Pomis arborum Domini sunt, & illi sanctificantur.

Quod ad Tertium. Duæ præcipuæ sunt species constituendæ; Enim verò Decimæ vel Profana, vel Ecclesiastica existunt. Profana sunt species quædam tributæ à legibus impositi, de quibus loquitur textus in l. 3. C. de Metalar. lib. 11. Ecclesiastica autem ratione religionis sunt debita, & propter Ecclesias, atque Ecclesiasticas personas, & de his nunc agitur, quæ adhuc in duas species dividuntur; Quoniam aliquæ Personis laicis debentur ex fructibus Ecclesiasticis, uti sunt illæ, quæ conceduntur per Summos Pontifices Christianis Principibus, ut impendant pro Christianæ Religionis utilitate contra infideles; & de his, quando Pensionarii teneantur contri- buere sex pro centenariio, non obstante exemptione à Decimis suarum Pensionum, vide meas Discordias Forenses de Jurisdictione. Discord. 1. ubi plenè de obligatione Pensionariorum solvendi Decimas per Papam concessas Serenissimæ Republicæ Venetæ. Aliæ verò sunt illæ, quæ debentur Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis, & de his propriè nunc tractatur. Istæ autem rursus dividuntur in tres species, quoniam aliæ sunt Prædiales, aliæ Personales, aliæ Mixtæ.